Typus Philosophiae naturalis duodecim assertionibus illustratus.

(s. t. deest)

Barthius

TYPUS PHILOSOPHIÆ NATVRALIS

per Petrum Smotar

DVODECIM ASSERTIONIBVS ILLVSTRATVS.

53364 I



I.

PRincipia Entis Naturalis (quod prout eſt Principium mobilitatis, eſſe Obiectum Philoſophiæ Naturalis aſſerimus) ſunt bene definita ab Ariſtotele, quod ſc- ſint ea quæ non ſunt ex alijs, nec ex alterutris, ſed omnia ex ipſis.

II.

EX his primum eſt Materia prima, quæ licet ex ſe habeat Actum Metaphyſicum, ſeu differentialem, non habet tamen Actum exiſtentialem, etiam de potentia DEI abſoluta, ſed illum emendicat à Forma, ad quam ſiue vt abſens, ſiue vt præſens, habet appetitum deſiderij vel complacentiæ.

III.

MAteriæ primæ tanquàm compars illius ſuccedit Forma ſubſtantialis, quæ duplex manens ſimul & ſemel vnam numero Materiam, etiam de potentia DEI abſoluta informare non poteſt; & licet vt materialis eſt, educatur de potentia Materiæ, vt tamen immaterialis eſt, nullo modo educi poteſt.

IV.

LOquendo de principijs Entis naturalis in fieri, tertium principium eſt priuatio quæ principiando non per ſuum non eſſe quomodocunque explicetur, ſed per vltimum eſſe conuenit in ratione principij, cum Materia & Forma non vniuocè ſed analogicè, analogiâ ſc. proportionalitatis.

V.

DE toto compoſito Phyſico hoc ſentiendum eſt quod conflatum ex Materia & Forma tanquam ex partibus eſſentialibus vnitis non medio aliquo nexu, ſed ſeipſis, non diſtinguatur realiter, ſed ſolum ratione ab illis.

VI.

PRæter cauſas intrinſecas Materialem ſc. & Formalem, quarum ratio conſtitutiua in Actu primo ad cauſandum eſt propria illarum Entitas, dantur aliæ duæ cauſæ Extrinſecæ Efficiens ſc. & Finalis.

VII. De

VII.

DE causa efficienti si sit principalis hoc tenendum est, quod pro principio proximo & immediato habens Formam accidentalem, & duplex numero manens, vnum & eundem numero effectum producere nequit.

VIII.

CAusa efficienti in causalitate contraponitur causa finalis, quæ cum non aliter nisi mediâ bonitate reali moueat, attrahat, & alliciat Voluntatem, ipsam solam pro ratione formali cooſtitutiua in Actu primo ad causandum habet apprehensione tantum per modum conditionis sine qua non, deseruiense.

IX.

ACtio formaliter transiens quam distingui à motu, qui est Actus Entis in potentia, secundum quod in potentia, realiter, modaliter asserimus; subiectatur in passo tanquam in subiecto.

X.

INfinitum in Actu, quod ex propria ratione secundum id quod Actu includit, nullis clauditur terminis, tam secundum magnitudinem quam secundum numerum aut intensionem, non solum naturaliter, verum etiam supernaturalrter dari nequit.

XI.

LIcet passibile sit duo Corpora supernaturaliter existere in vno & eodem loco, impossibile tamen est, vnum & idem Corpus manere circumscriptiuè in pluribus locis.


XII.

IN Continuo dantur indiuisibilia tam terminatiua quam copulatiua, quæ sunt Entia realia positiua actu existentia realiter, tanquam res à re, inter se & à partibus distincta.

XIII.

LOquendo de rebus permanentibus incorruptibilibus, hoc illis attribuendum est quod non solum absolute, sed etiam seruatâ earum naturâ potuerunt esse ab æterno.





TYPUS LIBRORUM DE ANIMA

DUODECIM THEOREMATIBUS ADUMBRATUS.

I.

ANima quæ est Actus primus Corporis Physici organici potentia vitam habentis adæquate diuiditur, in Animam Vegetatiuam, Sensitiuam, & Intellectiuam, suo modo tanquam Genus in Species.

II.

PRout se explicat in Anima rationali est indiuisibilis & continet Animam vegetatiuam & sensitiuam quoad gradus vegetatiui & sensitiui formaliter eminenter id est demptis imperfectionibus.

 III. Poten-

III.

POtentiæ illius quæ communiter numerantur quinque vegetatiua ſc. Senſitiua, Locomotiua, Appetitiua, & Intellectiua diſtinguuntur realiter, ab ipſa Anima, habentque ſuam vnitatem & diſtinctionem formalem, ex vnitate & diſtinctione formali Actus & Obiecti.

IV.

DEſcendendo ad Animas in particulari prima inter illas eſt Vegetatiua quæ inſiſtendo Doctrinæ Ariſtotelis eſt principium generandi tale quale ipſa eſt habens potentias operatiuas tres, realiter inter ſe diſtinctas, Nutritiuam ſc. Augmentatiuam & Generatiuam.

V.

ANimæ vegetatiuæ ſuccedit ſenſitiua, quæ præter quinque potentias extrinſecas, Viſum ſc. Auditum, Guſtum, Tactum, & Odoratum, habet quatuor interiores, realiter inter ſe diſtinctas, Senſum ſc. communem, cuius munus eſt diſcernere inter ſenſibilia, à diuerſis ſenſibus externis cognita, Phantaſiam, ſeu Imaginatiuam, Æſtimatiuam, & Memoriam.

VI.

VLtima inter illas perfectione tamen prima eſt Anima rationalis, quæ ex propria ſua ratione habet quod ſit purè Spiritualis, incorrruptibilis, immortalis, per ſe ſubſiſtens, vnita Corpori, per modum Formæ ſubſtantialis.

VII.

INtellectus agens qui est potentia Animæ rationalis distincta realiter ab intellectu possibili, habet simul cum Phantasmate concurrere in genere causæ efficientis, principalis ad producendam speciem intelligibilem in intellectu possibili.

VIII.

OBiectum proportionatum Intellectus nostri, pro hoc statu vnionis ad Corpus est Quidditas rei sensibilis, pro statu verò separationis est Quidditas spiritualis propriæ substantiæ seu ipsa Anima rationalis à qua intellectus dimanat.

IX.

SPecies impressa in Esse intentionali & repræsentatio est formalis similitudo sui obiecti concurrens actiuè cum potentia cognoscitiua ad cognitionem illius, formaliter & directe solam Naturam Materialem, indirecte verò, & per quandam reflexionem singularia repræsentans.

X.

INtellectio quæ nihil aliud est quam habitudo intelligentis ad rem intellectam est distincta à verbo realiter tanquam res à re, reponibilis in Prædicamento non Actionis sed Qualitatis.

IX. Licet

XI.

LIcet omne intelligens eo ipſo quod intelligens producat verbum mentale aut ex indigentia quia ſc. obiectum non redditur à ſeipſo intellectum in Actu ſecundo, aut ex fæcunditate, non eſt tamen neceſſe quod omnis intellectio, ex quo intellectio, ſit formatiua verbi mentalis.

XII.

SVppoſito Intellectu datur in ſubſtantia intellectuali Voluntas distincta realiter áb illo, quæ licet ſit nobilior potentiâ pro hoc ſtatu comparatiuè ad obiecta immaterialia ſuperiora nobis, abſolute tamen & ſimpliciter eſt ignobilior.

XIII.

INter iſtas duas potentias talis eſt ſubordinatio quod vna moueatur ab alia, vtraque autem à ſupremo Motore, DEO, CVI SIT HONOR ET GLORIA IN ÆTERNA SÆCVLA, AMEN.

Diſputabuntur publicè ad AEdes Sanctiſſimæ TRINITATIS, *ſub præſidentia* R. P. F. THOMÆ SCHMITH *Philoſophiæ Profeſſoris & Nouitiorum Magiſtri.*




Biblioteka Jagiellońska
stdr0025914